



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Tyro Carthusianus quinam sese in cella per dies singulos, iuxta externum
& internum gerere debeat hominem. Epist. VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

nem & abnegationem me ipsius, vt totus me ipsum exeam, & totum me in te proiciam, omnia de manu tua accipiens, & cum gratiarum actione te semper laudans ac benedicens in aeternum.

Precatio ad Beatam Virginem Mariam.

*Comendatio
sui & obse-
cratio ad
Virginem
Matrem.*

SPes mea vnica post Deum beata virgo Maria mater dulcissima atque gloriosissima, offero tibi, commendo & resigno me ad pedes tuos. Suscipe me in filium. Esto mihi pia mater. Impetra mihi, vt vitam tuam & eas virtutes, quibus tu filio tuo placuisti, pro modulo aliquo (quantum Deo placuerit) imitari merear. Adesto mihi in omni tentatione. Custodi & dirige me, vt in omni bono & in omni virtute semper proficiam, & in Dei atque tuo seruitio pariter ac amore nunquam deficiam.

Precatio in cella ad Angelum custodem.

Sperne ciuis, angelice spiritus, qui ad custodiam fragilis vitæ meæ deputatus es, gratias tibi ago de fideli custodia, qua me ab infantia custodire dignatus es. Tu es enim amantissimus atque dulcissimus Dominus meus, & meum est omni hora te prosequi, & amplecti tuam dulcissimam sanctitatem. O candidum & immarcescibile liliū cælestis paradisi, fidus rutilans superioris firmamenti, viua coronæ cælestis regis gemma. Mi Domine indulge mihi, quicquid vnquam in conspectu tuo deliqui, & veniam mihi peccatorum posse à Domino. Insidiantes mihi hostes reprime, in periculo animæ & corporis mihi assiste, orationes meas adiuua, vt sint acceptabiles in conspectu Domini, & omnem vitam meam Deo meo commenda & impetra mihi à Domino, vt felix & rationabilis & modestus fiat exitus meus, & suscipe animam meam, & presenta eam in vitam aeternam. Amen.

Tyro in ordine Carthusiano quinam sese in solitudine cella per dies singulos iuxta externum & internum gerere debeat hominem.

Epistola VIII.

F. IOANNES IVSTVS, LANSPERGIVS, CARTHVS.
suo charissimo spirituali filio scriptori perpetuam felicitatem.

FILI charissime, votis tuis morem gerere, & tibi necessarium & mihi apprimè est desideratum. Expectis enim legem à me tibi prescribendam hoc temporis curriculo, quo in cella vitam agens communibus monasterij vtilitatibus scribendo inseruias, vsque dum eam nobiscum amplectaris legem, qua monachus & dicaris & sis Carthusianus. Trutinatis igitur omnibus, quæ vel ob aratis tuæ teneritudinem, vel ob naturalium conditionem pensanda sunt, hic modus tibi seruandus est.

*Quod pri-
mum magis
expergilio
exercitii
eius debet.*

Principio, vt te diluculo surgente, corporis tui membris, sensibus, studijs, & affectibus quod primum occurrat exercitium, sit, te totum & omnia ad Deum conuertere. Primum quod ex ore tuo egreditur verbum, primum quod cogitas, quod desideras, quod agis, sic Deus, aut huiusmodi aliquid, quod in Dei beneplacitum referatur. Nihil cor tuum præueniat, nihil linguam tuam

occu-

occupet, nusquam manus admoueat operi, nec gradiatur pes, nisi Christo priori omnia consecraris. Antequam igitur quicquam accipias aliud, anteq̄ egrediaris cubiculum, mox vt de lecto surrexeris, procidens in terram Deum adora, commendans te humiliter custodia pijsimæ matris Iesu simul ac tuæ. Ad pedes eius locum tibi elige. Item in cor Iesu te offeras, atq̄ commendes. Deinde lectis alijs orationibus, scilicet sanctæ Brigittæ, in quibus pietatis stimulum sentis atque deuotionis, ad scribenda rationaria admoueas manum. Audiens ad sacra Christi, quæ missas priuatas vocamus, pulsari, quantocius ad ministerium altaris cum sacerdote peragendum aduola, maximò te munere à Deo honoratum existens, qui tanti sacrificij sis minister ac adiutor. Quocirca quanta potes ueneratione, timore, vigilantia, modestia ac pietate sacerdoti sacrificanti assistas, certissimus eum esse præsto ibi corporaliter in Sacramento, à quo aut æternæ felicitatis præmia, aut gehennæ incendia sis accepturus. Inter ministrandum caput matris Dei ferto roseo quinquaginta salutationum uenustes, interserens filij eius passionem, & varijs commemorationibus, atque aspirationibus flammigeris, virtutes eiusdem in passione explicitas intrudi tibi pariterq̄ ad imitationem sui animi tuum trahi à Christo flagites.

Rediens ad cellam vt alias semper, ad imaginem beatæ Mariæ quæ ceu custos iuxta fores cellæ tuæ uigilat, paulisper sustite, aut si festinatò intrandum est, interea dum clauis referas ostium, ora matrem Dei vt te quoque adoptet, teneat, possideatq̄ in filium dicens:

Salue dulcis & formosa.

Mater Dei gloriosa.

Adopta, me in filium.

Cellam ingressus, semper ante ad orationem genua flectas, quã aliud facias quicquam. Salutationem igitur beatæ offerens, ora vt tibi impetret, ea, quibus ipsa quam maxime placuit sanctæ Trinitati, scilicet gratiam profundissimam atq̄ perfectissimam humilitatis gratiã, purissimam castitatis gratiam ardentissimam, perfectissimamq̄ charitatis. Facta oratione, ex aliquo libello ad pietatem extimulante legas caput vnum atque alterum. Deinde lectum componas, & si quid aliud in cella purgandam, agendum ve sit, perficias. Si nihil familiare aliud agendum occurrit, in officina nonnihil operis fabrilis poteris agere. Deinde prandium scribèdo præstolari. Porro ante hoc ipsum prandium conuenit aliquantisper oratorium ingredi, atq̄ dominicæ matris gaudia temporalia commemorare, item mortem Christi in cruce, ad eius honorem orationem dominicam dicere, aut illam orationem quæ morientis Iesu condiciones explicat, *Precor te amantissime.*

Precatio ad Christum cruci affixum.

Precor te amantissime Domine Iesu Christe propter illam eximiam charitatem qua humanum genus dilexisti, quando tu cælestis rex pendebas in ara crucis cum diuina charitate, cum mirissima anima, cum tristissimo gestu, cum conturbatis sensibus, cum transfixo corde, cum perstreptibus membris, cum transfuerberato corpore, cum sanguineis vulneribus, cum defluentibus riuibus, cum expansis brachijs, cum confixis pedibus cum ex-

Vt ad missæ seruicium sit propetandum.

Vt missæ sacrificio sit assistendū.

B. Maria uide potissimum placuerit Deo.

Sub prandij inuicem quid agendum.

rensis venis, cum clamoroso ore, cum rauca voce, cum pallida facie, cum mortali colore, cum lachrymofis oculis, cum vertigine cerebri, cum ardenti amore, cum gemebundo gutture, cum fitibundis desiderijs, cum amaro gustu aceti & fellis, cum inclinato capite morte obuiante cum diuisione terrerimi corporis & defice animæ, cum aperto latere scum origine viuentis fontis. In ea charitate precor te pijsime Domine Iesu Chrifte qua cor tuum amorosum icindebatur: vt sis mihi placabilis super multitudinem peccatorum meorum, & compleas in bonis desiderium meum, ac bonum sanctumq; finem vitæ meæ, nec non gloriosam lætamq; resurrectionem mihi propter tuam largissimam misericordiam tribuere digneris. Qui viuis & regnas &c.

Cibum dum infers ad mensam, ora pro omnibus quorum elemosyna, largitione, opera denique & cura hic tibi cibus donatus paratusq; est. Pro illis dicere posses vnum *Pater noster*, & poscere à Deo beatæ retributionis æternam eis donari mercedem.

Alterum inferendo ferculum, itidem pro tentatis omnibus pauperibus, & quibuslibet afflictis ora vnum *Pater noster*: qui mereantur consolari, refocillariq;. Tertiam offeres Dominicam orationem Deo, pro anima in purgatorio magis afflictâ, idq; consummato prandio, ceu elemosynam spiritualem erogaturus. Postremo Deo optimo maximo pro tui refectione ac cæteris eius beneficijs onsaibus in te collatis, gratias age.

Gratiæ vt
sint agenda
Deo.

Primo
pro donis
naturæ Vir-
ginis matris
collatis.

Cæterum, ne vsquam tua te capiat matris obliuio (beatissimam Mariam loquor) gratias age pro ea atque cū ea pariter Deo. Initio pro omnibus donis naturæ præstantissimis eidem collatis, scilicet quod ipsam nobilissimam, venustissimam, amabilissimamq; creauerit Deus. Hoc loco ora Dominum filium eius, qui te commendat custodia, curæ, amorique matris regendū & possidendum. Ora & matrem, ne aspernetur in filium te suscipere, sed tenere, possidere, gubernare, atque dirigere in omnia quæ beneplacita Deo sunt, perinde ac se ipsam dum in hac vita mortali esset, gubernauit, vt nunquam offenderet, nulliusq; culpæ fieret obnoxia.

II. Pro donis
gratiæ.

Iterum age gratias Deo pro omnibus gratiarum donorum spiritualium virtutumque insignijs quibus plena ac perfectissime donata fuit. Ora Deum vt in eius meritis donet tibi atque infundat, quicquid sibi placeat: quicquid displiceat, amoueat. Ora matrem quoque impetret vt in cunctis inueniaris atque sis in oculis Dei, qualem ipse velit, hoc est, semper voluntati eius conformis atque placens.

III Pro do-
nis gloriæ.
Qua ratio-
ne sit opera
manuaria,
exercenda.

Tertio, gratias age pro gloria qua matrem suam omnibus cæli genis prælatam illustrauit. Et ora vt talem vitam agas, ita purgatus mortaris q; hanc mortalitatem exuens, ilico ad requiem perducaris æternam.

Ad labores hinc manuales te conferas, interim non omnino recedens à Deo. Inter operandum, Hymnos, Sequentias, Antiphonas & huiusmodi cantica spiritualia sub silentio modulando, spiritum tuum recrees. Interrūpas opera crebris aspirationibus, orationibus breuibus & flammigeris, desiderijs item ignitis, colloquij denique tum mentalibus, tum vocalibus ad Deum. Tempus quod inter prandium & vespas agit, partim operibus manuum, scribendisq; rationarijs, & lectioni parum accommodes. Post quartam horam ab externis operibus omnique strepitu abstineas. Refectione,

aut

aut dum fuerit ieiunandum (quod aiunt) collationem sumpturus, librum explicata ante oculos sub refectioe legendum. Deinde ad pulsum Completorii vsque scribere potes: hinc lectione breui spiritali recreatus, oratorium mox ingrediaris: quid hac die contra leges Dei, quid contra sanctum institutum tuum deliqueris in examen adducas. Veniam à Deo delictorum petas propositum bonum restaures: & fusa oratione ad Deum pro directione atq; custodia tui, matri tuæ beatæ Mariæ te commendes: & postremo horam nõ excedendo ad quietem somnumq; te recipias. Vale.

Quid sub lecti ingressu sit agendum.

Quibusnam technis præcipuis nitatur diabolus subuertere Christi in religione monastica tyrone, utq; sola obedientia simplex per abnegationem mortificationemq; omnium propriae voluntatis, propriorum consilij intellectus, iudicij sensusq; sit spes spiritaliu profectus, ac demq; via directa ad æternam beatitudinem.

Epistola IX.

F. IOANNES IVSTVS, LANSPERGIUS, CARTHVS.
ad eundem filium charissimum donatum ordinis amictu, & in nouitium constitutum monachum.

FILII charissime, suscepi te hodie in filium, & tu me suscepisti qualẽcunq; in patrem. *Quos Deus coniunxit, homo non separat.* Insi diabitur nobis diabolus, & vtriusque salutem inuidet: meo studio, tuo profectui: meæ vigilantia, tuæ obedientia. Et totis niteretur viribus, ut diuortium displicentiamq; inter filium & patrem exuscitet, sciens quantum boni per hoc impedire, quantum rursus mali hoc dissidio possit parere: Vigilemus igitur contra aduersarium salutis nostræ: & tu me talem cogita, qui licet imperfectus, licet peccator, & multis, ut cæteri homines defectibus obnoxius, tamen salutem tuam fidelissimè conuulet: cui si acquieueris, in virum Deo acceptum euades. Equidem obedientem filium (crede mihi) possum imperfectus ipse, perfectum reddere, diuina gratia, non secundum mea opera, sed secundum tuam humilitatis obedientiam in te operante.

Matt. 19.

Quocirca quicquid dixerò, quicquid tibi persuasero, non aliter accipias, atque à Domino Iesu, qui per peccatorem, ut olim per Caipham, & per asinum dictam Balaam, te erudit. Si igitur ita senseris, impossibile est, quin ad omnia tibi asserat Deus ductor & saluator. Si aliter senseris, non ductor tibi ipse eris, sed deceptor & deceptus: seducens & seductus: cæcus & ignarus. Quicquid faciendum sit, hilari animo occurre, quia tristis non placet Domino suo seruus. Tristitia namque inuitum animum prodit. Tristitia gratiam non meretur: quia nemo acceptum fert, quicquid inuito collatum fuerit animo. Ita que sic age, ut tu lætitiã in corde de bono opere & gratiam inuenias apud Deum ex bona voluntate. Quicquid agendum est, quocunq; eundem, non differas: Mora omnis, aut ignauium, aut non voluntarium animum ostendit. Studeas ubique primus esse, non vltimus. Tu alios expecta, nemo te. Tu primus in choro Christum suos milites præstolantem saluta primus, gratiam eius pete. Sancta utaris superbia, ut dolor tibi sit verecundia & feruens quædam æmulatio, si quispiam te in bono præuenierit. Quicquid tibi fuerit mandatum

Ut superiorum dicta tanquam Dei accipienda sint. Ioan. 11. Nu. 22. Tristitia mala, gratiam non meretur.

Sancta quædam superbia, ut sit vltimum.

datum